

tum in voluntate existit ut inclinans et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam; » quod utique est habere se ut principium ad amorem elicendum, vel continuandum, quia inclinatio illa amor est: sicut etiam intellectus intelligendo verbum dicit, et rursus in verbo dicto contemplatur, et de novo elicit, vel continuat intelligentiam: nec enim voluntas se impellit, aut determinat, et ponderosa redditur, nisi vitali modo ut supra diximus, et vitali voluntario, seu spontaneo, talis autem motus inclinationis voluntariæ substantialiter amor est; et sic differt ab intellectu, qui non potest per cognitionem fecundari, sed per speciem impressam ab alio infusam vel productam, et non per cognitionem, quia in fecundatione non se movet intellectus, sed patitur ab objecto; et ideo philosophus dixit quod intelligere est pati, scilicet causaliter, et in sua fecundatione. Voluntas autem non determinat se, nec impellitur patiando, sed voluntarie et ab intrinseco inclinando et determinando, et hoc est jam amare dum spirat et impellit se.

XII. Ad confirmationem respondetur sensum D. Thomæ esse quod in voluntate non procedit aliquid per modum operati in quo ultimo sistat, sicut in intellectu procedit aliquid per modum operati, ubi representatur objectum tamquam ultimum actum, et intellectum, et ibi intra verbum intelligitur objectum, sed bonum non amatur ut intra voluntatem, licet per id quod in voluntate productum est, ametur res ad extra. Unde non negat absolute D. Thomas aliquid operatum in voluntate, sed aliquid sic operatur, sicut in intellectu, in quo videlicet contineatur objectum, ita quod ad illud prout intra se terminetur cognitio: dicit enim hoc ideo esse quia

operatio intellectus terminatur in mente, in qua est verum vel falsum, operatio vero voluntatis terminatur ad res, in quibus est bonum vel malum; et ideo amor significatur in Deo ut operatio, non ut res operata, verbum autem ut res operata, et subsistens, sicque amor non dicitur personaliter in Deo. Ad hoc ergo negat D. Thomas procedere aliquid in voluntate ut operatum, quia id quod procedit non procedit ut terminus in quo objectum ametur, et ibi sistat amor, sed ut impulsus quo voluntas ponderet et inclinatur in objectum ad extra, non vero negat procedere aliquid operatum a voluntate, ut vitaliter impellatur ab illo, et quasi pondus vitale accipiat respectu alicujus objecti cui coaptatur, et proportionatur.

XIII. Quod si quæras, an talis terminus vitalis spirationis possit suppleri a Deo, ut ipsum objectum amabile per seipsum uniatur voluntati, et faciat hanc ponderationem, et inclinationem, sicut nos tenemus quod in intellectu beati Deus seipso supplet verbum, seu speciem expressam, ut in ipso videatur essentia divina, et non in verbo, seu representatione creata, respondetur non posse, et esse disparem rationem inter verbum, quod est terminus intellectionis, et impulsus illum, qui est terminus amoris; quod verbum non solum est terminus vitalis productionis, et locutionis, sed etiam representatio intentionalis ipsius objecti expressa, ita quod continet ipsum objectum in esse intentionali, et intelligibili formando illud in se sub ea intelligibilitate, et immaterialitate, quam habet in se objectum; unde quando intelligibilitas, et immaterialitas objecti tanta est, et tam divina, quod omnis intelligibilitas, et immaterialitas creata non solum potest adæquare, sed in infinitum remanet dis-

tans ab illa, oportet per ipsam immaterialitatem divinam hoc suppleri. Verbum ergo seu terminus intellectionis quantum ad hoc quod est continere, et representare objectum in esse intelligibili, sicut in se est, non potest per imaginem creatam, et productam id habere, sed seipso debet divina intelligibilitas id supplere, quia nihil est creatum tantæ intelligibilitatis capax, nec imago aliqua quam ponamus ei. Quantum autem ad hoc quod est esse terminum productum, et locutum vitaliter ab intellectione, et dictione, nullo modo potest id suppleri per essentiam divinam, nec in beatis divina essentia unitur ut terminus productus, et locutus per intellectionem beati: implicat enim quod producat ab aliqua actione creata id quod divinum est, et implicat quod id solum unitur, et non procedit, dicatur terminus productus, aut dictus. Unde quantum ad hunc effectum termini producti, nec essentia divina supplet vicem verbi in beatis, nec visio beata aliquem terminum habet a se dictum, vel productum, sed solum unitum in quo contemplatur objectum, scilicet ipsam essentiam divinam vice verbi. At vero terminus productus in voluntate non habet rationem imaginis trahentis, et continentis in se per representationem objectum, ut ex hac parte ipsum objectum suppleat per seipsum intelligibilitate sua id quod impossibile est alicui creatæ imagini, sed solum habet rationem vitalis procedentis, et emanantis ab ipsa voluntate, et impressus ex objecto apprehenso in conceptu, qui causat tale pondus vitale in ipsa voluntate: dependet enim illa impressio, et immutatio voluntatis ab objecto appetibili, ut a fine, et objecto, sed realiter vitaliter elicitur a voluntate; unde et D. Thomas vocat illam coaptationem ad objectum, complacem-

tiam, quæ utique a voluntate elicere debet, de quo videatur ipse D. Thomas cap. II, quæst. XXVI, art. II, et ea quæ diximus in physica, q. XIII, art. II. Et in hac prima, parte, q. XXXVII, art. I, dicit S. Thomas hanc impressionem rei amatæ in affectu amantis provenire ex eo quod aliquis amat: ergo vitaliter procedit. Unde non est ibi aliquid quod essentia divina suppleat per semetipsam, quia impulsus iste non potest esse impulsus, et pondus unitum, sed vitale, et vitaliter, seu ab intra voluntati impressum, quia in tantum ponderat, in quantum est voluntarium, et non ab extra: voluntas enim solum inclinatur voluntarie. Unde non potest inclinari per pondus, et impulsus sibi unitum, sed a se productum: divina ergo essentia ut principium agens, et per modum effectivum poterit inclinare voluntatem, sicut inclinatur intus operando ut ipsa operetur tamquam radix voluntatis, non autem per modum formæ vitalis formaliter reddentis inclinatam, et ponderosam in objectum. Quidquid autem processionis, et vitalitatis est procedentis non suppletur formaliter a Deo, neque in verbo mentis, nec in impulsu voluntatis, sed solum quod imaginis, et representationis intelligibilis est, seu ex parte objecti se tenet ut uniatur objectum intellectui, non quod processionis vitalis est. Et quia ad actum intellectionis non requiritur processio verbi ab intelligente, sed solum contemplatio erga objectum representatum in verbo sibi unito, ideo salvatur, et suppletur verbum, sine hoc quod vitaliter procedat, solum per hoc quod intellectui uniatur, et ad illud intellectio contemplando terminetur, quæ ut intellectio sit, non requiritur quod habeat terminum productum, sed sufficit quod contemplatum, quod totum secus se habet in impulsu voluntatis,



qui in tantum impulsus est in quantum voluntarius, et vitaliter a voluntate ortus.

XIV. Secundum quod supra diximus hic debere præsupponi est, an iste impulsus et spiratio voluntatis, seu amor procedat active a conceptione mentis, an solum specificative, quia objectum est, et finalizative, quia finis alliciens est. Communiter enim tenetur, quod solum in hoc duplici genere causæ, scilicet formalis extrinsecæ, seu objectivæ, et finalizantis dependet a conceptu mentis actus voluntatis, et spiratio seu impulsus ejus. Addidit Cajetanus in hac prima parte, quæst. LXXX, artic. II, quod etiam active seu efficienter dependet actus amoris ab appetibili apprehenso, prout enim apprehensum in anima agit desiderium, et sic effective causat in appetitu specificationem ad talem actum, ad quam specificationem est in potentia, nec apparet alia causa a qua effective reducat in actum. Sed de hoc puncto agendum est I-2, quæst. IX et X. Pro præsentis puncto in quo invenimus spirationem passivam, seu Spiritum sanctum esse a Verbo divino non solum in genere causæ formalis extrinsecæ, aut finalis, sed per modum principii activi spirantis, advertendum est quod licet verum sit quod amor procedat a verbo, et a conceptione mentis, et sic Spiritus sanctus debet procedere a Filio, ut docet infra quæst. XXXVI, art. II, et IV contra gent. cap. XIX, tamen quo genere causalitatis procedat a Verbo, ibi non exprimit. Dicimus ergo quod a Verbo potest intelligi quod procedat, et originetur amor, et ratione objecti in Verbo representati circa quod versatur amor, et ratione ipsius essentiæ seu naturæ divinæ, ejusque voluntatis, quam habet illud Verbum in quantum est subsistens Persona in Deo; sicque operatur per intellectum, et

voluntatem, et potentiam tamquam persona agens, et operans, ut principium quod. Itaque verbum et est principium quo manifestandi objectum, seu proponendi voluntati, et est principium quod operandi per voluntatem. Primo modo, ut pure manifestativum est objecti non habet amor, seu spiratio voluntatis procedere a verbo, nisi in genere causæ formalis objectivæ, et finalizativæ, quia hoc modo solum consideratur processio, seu emanatio ab objecto, a quo solum, ut a formali, et finali causa dependet. Secundo modo spiratio procedit a Verbo, et a Patre quasi active per eandem virtutem spirativam, et per eandem voluntatem, quæ respectu amoris, seu actionis spirativæ consideratur ut operans active, non ut finis vel objectum.

RATIONES D. THOMÆ EFFICACITER PROBANT PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI NON ESSE GENERATIONEM.

His prælibatis, non est animus prosequi, aut explicare omnes rationes, quæ accumulari solent ad probandum Spiritum, sanctum non procedere ut genitum, nec ejus processionem esse generationem; plures affert p. Vasquez hic disp. CXIII, c. II et III.

XV. Dicimus ergo ex D. Thomæ processionem Spiritus sancti excludi a ratione generationis, quia etsi per illam processionem habeat Spiritus sanctus eandem substantiam, et divinitatem tanta identificatione, et unitate sibi connexam sicut Filius, sed non eadem formalitate, seu formali ratione communicatam, et ex diversa ratione formali, et modo communicandi in una processione, et in alia, dicitur una processio generatio, alia non. Reduci autem hanc differentiam ad diversum mo-

dum et rationem communicandi, quia scilicet ex vi modi procedendi non communicatur Spiritui sancto similitudo naturæ, sicut Filio, docet S. Thomas aperte in primo ad Annibaldum, dist. XIII, quæstione unica, a. III, ubi inquit: « Sic igitur processio Spiritus sancti ex ratione modi procedendi non dicit conformitatem naturæ quam dicit generatio. » Ubi conformitas naturæ idem est quod similitudo. Et idem docet IV contra gent. cap. XXIII, in fine, ubi docet quod: « Si duplici modo posset unus homo facere alterum hominem, scilicet per genituram, aut alio modo, scilicet modo artificiali ex propria carne ille diceretur filius, non iste, licet uterque esset similis in substantia solum propter diversum modum procedendi. »

Et si quæras, quis sit iste diversus modus, seu diversa ratio formalis, ratione cujus processio Spiritus sancti generatio non sit, et per quam particulam excludatur a definitione generationis, respondeo excludi ex defectu duplicis particulæ, quæ in definitione generationis deest processioni Spiritus sancti. Primo enim deest illa particula in similitudinem. Secundo, illa particula natura, quia formaliter, et ex vi formalis processionis formalitate quarti modi per se, nec procedit in similitudinem, nec procedit sub formali ratione naturæ, sed alicujus consecuti ad naturam, licet in primo modo per se Spiritus sanctus essentialiter sit natura divina, et similitudinem, vel potius identitatem illius habeat. Utrumque modum excludendi definitionem generationis a processione Spiritus sancti posuit S. Thomas. Nam quod non sit generatio ex eo quod non procedat formaliter in similitudinem, sed per modum similitudinis, posuit hic a. IV et in III contra gent. c. XIX, et aliis locis, ubi de ista pro-

cessionem tractat. Quod vero non procedat formaliter per modum naturæ, docet in I, dist. XIII, q. I, art. III ad VI, ubi inquit quod: « Natura non est principium processionis Spiritus sancti sub ratione naturæ, sed sub ratione voluntatis a qua procedit amor. »

XVI. Hinc factum est, quod Cajetanus, et alii interpretes D. Thomæ communiter dicant requiri ad generationem quod id quod procedit non solum sit simile, sed sit simile ex vi generationis. Quod D. Thomas expressit illis verbis supra citatis in primo ad Annibaldum quod: « Ex ratione modi procedendi procedat in similitudinem seu conformitatem naturæ. » Unde licet in processione Spiritus sancti id quod procedit sit simile, quia tamen non habet similitudinem ex vi, seu ex modo ipso processionis, ideo non est generatio. Quid sit autem procedere ut simile, ex vi, seu ex modo processionis, postea ex argumentis declarabitur. Nunc dicimus quod ly ex modo procedendi, non est aliud, quam quod ex ipsa formali ratione procedendi, modo assimilativo procedat, ita quod actio ipsa sit assimilativa, et tam in quarto modo per se ista generans assimilatur, sicut calidum calefacit, generans generat. Nec tamen addimus definitioni generationis novam particulam, dicendo ex vi processionis, sed explicamus his verbis vim illius particulæ in similitudinem, quæ tunc recte intelligitur, quando formalis ratio termini generationis est ipsa similitudo naturæ, seu facere simile, ut simile, seu generare ad imaginem, ut dicitur de Adam Genes. V, quod: *Genuit ad imaginem et similitudinem suam*. Quod si ipsa similitudo, seu facere simile, est id quod formaliter intendit generatio, oportet quod ex ipsa vi, et formali ratione procedendi habeatur similitudo, ita quod in quarto modo per



se procedat simile, et non sufficit quod id quod procedit sit simile in primo modo per se ipsi producenti, ut jam explicamus.

XVII. Fundamentum ergo nostrum ad ostendendum quod processio Spiritus sancti non sit generatio est, quia non convenit illi duplex illa particula, scilicet in similitudinem, et ly naturæ, ita quod non procedit in similitudinem naturæ, quod ponitur in definitione generationis.

Ratio est quia particula in similitudinem, quæ ponitur in tali definitione importat formalem rationem sub qua terminus procedens est terminus generationis: ergo oportet quod processio, quæ est generatio ex sua formali ratione, et tendentiâ respiciat illam similitudinem: ergo licet active producat res similis, et terminus procedens essentialiter, et in primo modo per se habeat similitudinem, imo et identitatem, et unitatem cum natura sui principii, tamen si actio sub formalitate sua, et in quarto modo per se non assimilativa, et modo assimilativo procedens, non est generatio. Antecedens probatur, tum quia definitio generationis non dicit quod sit processio vel productio rei similis quomodo-cumque, sed quod sit in similitudinem, ubi illa particula in dicit formalem rationem termini generationis, quia scilicet ad hoc tendit generatio, ut simile fiat: esset autem diminuta definitio si explicaret processionem istam secundum formalitatem, qua est a suo principio activo, scilicet a vivente, et a substantia, seu materia ex qua fit, et ex parte termini ad quem tendit, non declararet formalem rationem sub qua terminus attingitur, dicendo in similitudinem, sed diverteret ab ea. Tum etiam hoc petit ipsa formalis ratio generationis, quia ex sua natura, et propria ratione est processio

propagativa sui generantis: non propagatur autem aliquid, nisi per id quod producitur ut alterum se, et in quo ipsemet producens quasi remanet, et repræsentatur. Et ideo viventia generant ex propria substantia, ut quasi eadem substantia extendatur in suum genitum, et ibi quasi ipsemet qui produxit continuatur, et perpetuetur: ergo tota formalis ratio, quæ intenditur a generante, est illud formale, quod est propagativum producentis: non propagatur autem nisi in suo simili, quia in eo in quo deficit a similitudine, et convenientia in natura non propagatur, sed discontinuatur, et deficit, ne idem qui produxit, repræsentetur et continuatur in ipso genito. Ergo ly similitudinem, formalem rationem dicit ipsius termini generationis. Tum denique quia hac ratione explicat Scriptura generationem dum dicit Genesis v de Adam: *Et genuit ad imaginem, et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth;* id ergo quod intendit generatio Adam fuit imaginem, et similitudinem sui propagare: ergo ly in similitudinem dicit formalem rationem termini generationis.

XVIII. Consequentia vero argumenti facti probatur, quia si formalis terminus generationis est similitudo, aliqua actio, seu processio debet ei correspondere, quæ specificetur a tali termino, et ex sua propria specificatione talem terminum respiciat. Non est autem alia, quam generatio, quia ad hoc natura generationem instituit, ut ex sua specie, et propria ratione esset propagativa naturæ; et ideo generatio dicitur conservativa speciei, sicut nutritio conservativa individui. Propria ergo et formalis ratio generationis explicatur in illa particula in similitudinem, quia ab ipsa similitudine, ut propagativa naturæ, specificatur generatio. Unde sequitur secunda

consequentia, quod ad rationem generationis non sufficit quod sit actio producens efficienter, vel active aliquem terminum, qui in se sit similis sed quod specificative, seu in quarto modo per se producat simile, ita quod sicut ista est per se in quarto modo: Calidum calefacit, ita sit ista in quarto modo: Per se generatio assimilatur, seu propagatur in similitudinem: ergo oportet quod ex vi processionis procedat simile, non solum simile ex vi quasi productiva et activa, seu in genere producentis, sed ex vi rationis formalis, seu specificantis, ita quod sit in quarto modo per se. Quod si aliquo alio modo aliqua actio producat simile, etiamsi talis terminus productus sit essentialiter similis, aut ejusdem substantiæ cum alio, non tamen generatione dicitur illud producere, sed alia actione. Exemplum ponit S. Thomas iv contra gentes. cap. xxiii in fine, si aliquis homo acciperet a Deo virtutem, ut artificiali modo, et manibus suis posset formare ex carne sua, aut sanguine alium hominem, sicut Eva formata est ex costa Adam, si ille homo produceret unum hominem ordinario modo ex connexionione cum femino, et aliarum elaborando illum ex carne sua, uterque produceretur ab isto homine similis ipsi, quantum ex vi productionis activæ seu efficienter, et tamen primus esset genitus et filius, secundus non, quia licet iste esset ejusdem speciei, et naturæ essentialiter cum suo producente, non tamen procederet modo propagativo naturali, sed artificioso: ergo signum manifestum est non sufficere ad generationem productionem alicujus rei similis in natura ex parte rei productæ, sed ex parte modi producendi, et ex vi processionis, non solum effective, seu active, sed etiam specificative, et in quarto modo per se.

XIX. Secundum quod diximus non inveniri in processione Spiritus sancti quod pertinet ad definitionem generationis, est ly naturæ, quod procedat in similitudinem naturæ formaliter in eo, in quo talis natura constituitur, non in aliquo quod consequitur ad naturam, licet identice non distinguatur a natura. Nam generatio speciem intendit primo, et per se, non proprietates rei: istæ enim generationem sequuntur, sicut et formam, quæ est terminus generationis primo, et per se. Itaque generatio habet pro formali termino formam substantialem, et esse substantialem, quia formalissime substantialis actio est. Unde requirit quod principium ejus sit forma ipsa substantialis generantis, licet utatur tamquam virtute, et instrumento potentia generativa, quæ est ipsa formæ virtus agendi accidentaliter. Non autem potest formale principium generandi esse aliquid consecutum ad formam substantialem, quia id quod est consecutum ex vi sui formalis conceptus, præsupponit naturam, quia aliud consecutum est ad ipsam: ergo non potest in tali consecuto fundari generatio, si quidem generatio tendit ad formam substantialem, qua constituitur ipsum esse substantiale. In natura autem cognoscitiva, appetitus habet se ut consequens naturam, seu rationem constitutivam naturæ, non ut forma constituens, quia appetitus ex suo formali conceptu est inclinatio quædam, et pondus in appetibile: omnis autem inclinatio consequitur aliquam formam, non ipsam constituit, et juxta diversas formas, diversæ sequuntur inclinationes, sicut etiam in naturalibus videmus quod alia est inclinatio terræ, alia ignis, alia equi, alia leonis propter diversas formas ad quas sequitur inclinatio. Et ita philosophus in libris de anima distinguit tres gradus vi-



ventium, vegetativum, sensitivum, intellectivum; appetitivum autem non numerat inter gradus distinguentes naturas viventium, quia appetitivum non constituit, sed consequitur formam constituentem. Hinc sequitur quod cum natura divina sive constituatur ipso intelligere in actu secundo, sive intellectualitate in actu primo, sive quolibet alio conceptu anterioris, tamen ipso velle non constituitur, quia voluntas supponit intellectum: nihil enim volitum quin cognitum: ergo et naturam intellectivam supponit, quæ vel est antecedens intellectum vel in ipso intelligere consistit; licet identice idem esse habeant in Deo intelligere, et velle, sicut omnia quæ in Deo sunt, Deus sunt: ergo illa processio, quæ habet pro formali principio voluntatem, ut voluntas est, non intellectualitatem, ut gradus est constitutivus naturæ, non potest esse generatio, quia procedit secundum illud quod ex suo essentiali conceptu supponit naturam constitutam, et est aliquid consecutum ad ipsam.

XX. Ex quo colligitur hanc rationem D. Thomæ quam communiter sequuntur ejus discipuli, esse veriorum, formaliorum, et magis intimam, nec bene impugnari a Vasquez, nec propriam hujus rei rationem ab eo assignari. Constat hoc, quia ratio D. Thomæ reddit ipsam formalissimam rationem quare non sit generatio hæc processio Spiritus sancti, videlicet, quia non conveniunt ei particulæ essentialis definitionis generationis, hæc enim propriissima ratio est excludenda processione ista rationem generationis. Quod vero excludantur illæ duæ particulæ, scilicet *ly* in similitudinem et *ly* naturæ secundum rectam intelligentiam hujus definitionis, in qua sumi debet *ly* in similitudinem formalissime pro termino formali

reigenitæ, et pro ratione formali ipsius processio, ita ut procedat res genita ut similis in quarto modo per se, et ut similis in natura in eo quod formaliter natura est, non in eo quod consecutum ad naturam, eamque præsupponit, satis superque ostensum est.

Cæterum displicuit Vasquez hic disp. cxiii, cap. vii, explicatio hæc quæ est Cajetani et Ferrariensis et communiter Thomistarum, eo quod ibi persuadet processionem Spiritus sancti etiam in quarto modo per se esse processionem rei similis in substantia, cum sit processio increatæ, et divinæ Personæ, quæ ex vi suæ processionis substantialiter est similis, imo unius et ejusdem substantiæ cum suo principio, quæ argumenta partim articulo præcedenti sunt proposita, partim proponuntur statim. Ipse vero cum Canariensisuper hanc quæstionem xxvii, art. ii, dicit rationem quare Spiritus sanctus non sit Filius, non esse quia non procedat ut similis in natura ex vi processionis, sed quia non procedit ut imago, et ad repræsentandum: existimant enim rationem imaginis in eo consistere quod est habere munus repræsentandi, et quia Verbum de se est repræsentativum, non Spiritus sanctus, ideo non habet rationem imaginis. Ex hoc autem quod non est imago, neque est Filius, quia specialis relatio Filii inveniunt, non est in eo quod sit effectus Patris, et causatus ab illo: sic enim etiam unus ignis causatur ab alio igne, nec dicitur Filius ejus, et rami propagantur vitaliter a trunco, nec sunt filii ejus. Consistit ergo relatio Filii, qua talis, in eo quod sit repræsentans Patrem, et imago ejus; et sic repræsentationem sequitur filiatio.

Cæterum, ut optime advertit Suarez xi libro de Trinitate, cap. v, num. vii, contra istam opinionem,

patres qui docent Filium debere esse imaginem, ut sit Filius pro eodem accipiunt imaginem, et similitudinem, nec nos negamus Filium procedere ut imaginem, quando dicimus procedere in similitudinem, cum imago sit propria ratio, et nomen filii, ut docet S. Thomas infra q. xxxv. Et Scriptura generationem humanam ex Adam æque explicavit per imaginem, et per similitudinem in loco illo Genes. v: *Et genuit Adam ad imaginem, et similitudinem suam: vocavitque nomen ejus Seth.* Et optime Anselmus in monologio, c. liii, inquit: « Verbum esse Filium, quia præ se fert rationem imaginis, et Spiritum sanctum non esse Filium, quia præ se fert rationem similitudinis, » pro eodem accipiens similitudinem, et imaginem. Sed cum imago sit duplex, altera pure repræsentativa, altera repræsentativa, et propagativa, imago primo modo non sufficit ad generationem, cum inveniatur etiam in ministro repræsentante principem, et in denario, ubi ponitur imago Cæsaris, et in pictura ubi repræsentatur rex. Imago autem secundo modo sufficit ad rationem generationis, sed non sufficienter explicat Vasquez, quomodo distinguatur a similitudine naturæ, in qua fit propagatio, et quare non conveniat processionem Spiritus sancti si ex vi sua procedit ut similis in substantia suo principio. Quid enim illi deest ad propagandam, et repræsentandum substantialiter? Verbum enim de se est repræsentativum, sed tantum intentionaliter, et intelligibiliter: redditur autem substantialiter repræsentativum apud hos auctores non aliunde, quam quia divinum est, et divina processione dimanat. Ex eodem fonte habet Spiritus sanctus emanare, ut similis substantialiter per se, scilicet ex vi suæ processionis divinæ, et ex eodem acci-

pit esse similis in substantia, et propagare naturam: cur ergo non accipiet ipsum repræsentare substantialiter ut imago, si per se accipit esse similem ex vi processionis? Ac denique urgetur hæc sententia, et retorquetur in ipsam telum quod in Cajetanum Vasquez contorquet, et ut sibi videtur, valide; videlicet philosophus in definitione generationis non posuit quod sit processio in similitudinem ex vi processionis: ergo illa particula ex vi processionis non ad definitionem spectat, sed ad glossam, adjectionemque Cajetani. Unde stando in sola, et mera definitione philosophi, quæ ipsam quidditatem generationis exprimit, non habet Cajetanus quomodo a processione Spiritus sancti definitionem generationis excludat. Retorqueo: Aristoteles non posuit in definitione generationis quod procedat aliquid in similitudinem naturæ per modum imaginis, et repræsentationis: ergo illa particula per modum imaginis et repræsentationis non pertinet ad definitionem generationis, sed ad glossam, et adjectionem Canariensis, et Vasquez. Quomodo ergo salvant ipsi quod processio Spiritus sancti non est generatio, stando in mera definitione philosophi. Dicent se, non addere definitioni, sed explicare vim illius particulæ in similitudinem bene. Cur ergo D. Thomæ, Cajetano, Ferrariensi cæterisque ejus discipulis non licuit explicare *ly* in similitudinem in sensu formali, id est, ex vi processionis, et in quarto modo per se, ita quod generatio, ut generatio sit, modo assimilativo debeat procedere, cum hoc congruentissimum sit ipsi rationi generationis?

XXI. Quare concludimus cum D. Thomæ doctrina hucusque explicata Spiritum sanctum non procedere ex vi suæ processionis ut similis in natura formaliter, licet identice, et